

De Zosimi aetate disputatio¹.

Zosimi, labentis imperii rerum scriptoris, memoria iam antiquis temporibus ita exoleverat ut hodie ne aetas quidem certo aliquo definiri possit testimonio. cum enim Suidiana s. v. Ζώσιμος Γαζαῖος ἢ Ἀσκαλωνίτης nimis incerta sint quam ut advo-
cari possint, unus restat Euagrius h. e. III 41 de Zosimo haecce referens: σὺ γάρ οὐδὲ ἀκοήν τράφεις, μήτι τε δὴ ἀλήθειαν,
πολλοῖς ὑστερον χρόνοις ἐπὶ Ἀρκαδίου καὶ Ὄνωρίου, μέχρις οὗ
(ῶν coni. Arn. Schaefer, fort. recte, cf. Niceph. Call. h. e. XVI 42:
οἵς καὶ τὴν συγγραφὴν ἔστησας) ἢ καὶ μετ' αὐτοὺς γεγονώς
(ἴσως δὲ καὶ πολλῷ γενόμενος ὑστερον Niceph.). quae verba cum
aperte docerent ne ad Euagrium quidem, exeuntis saeculi sexti
hominem, certam de Zosimi vitae temporibus notitiam pervenisse,
magna de ea re inter recentioris aetatis homines doctos orta est
controversia summaque opinionum varietas prolata. nos eam va-
rietalē non persequemur, sed quid nobis statuendum videatur
breviter exponemus.

habemus igitur ad aetatem Zosimi paulo accuratius circum-
scribendam triplex quaerendi adiumentum: scriptorum quos ipse
secutus est memoriam, scriptorum qui ipsum legerunt aetatem,
denique rerum aliquot quas ipse memorat nota aliunde tempora.
quibus ex subsidiis perexigui fructus est primum. quod enim
Reitemeier (praef. p. XXIII sq.) ex Syriani philosophi mentione
(IV 18) conclusit post a. 431 vixisse Zosimum — circa illum
enim annum Syrianum floruisse —, temerarie omnino conclusit.
nam cum omnino Syrianī tempora obscura sunt (v. Zeller hist.
phil. Gr. t. III² 2 p. 759, 4), tum plane latere quo anno hymnum

¹ quae secuntur excerpta sunt ex prooemio novae Zosimi edi-
tioni praemittendo. eam autem particulam museo Rhenano inserere
ideo placuit, quod eidem museo nuper inserta est Ieepii de eodem ar-
gumento dissertatio in qua refellenda haec nostra versatur. quodsi ea
quae stare nequeunt iam publica huius musei fruuntur luce, etiam re-
futatio iure quodam postulare posse videtur ut sibi eadem lux con-
cedatur neu delitescendum sit in libro paucorum hominum studia allekturo.

in Achillem, a Zosimo l. d. memoratum, composuerit recte dixit L. Ieep mus. Rhen. t. XXXVII (a. 1882) p. 433. Syrianus igitur cum ab hac quaestione prorsus segregandus sit, ex scriptoribus ad quem provocari possit unus relinquitur Olympiodorus Thebanus, ab ipso Zosimo V 27, 1 tamquam testis excitatus. qua ex Olympiodori mentione id quidem intellegimus post a. 425 Zosimum opus suum composuisse — ad hunc enim annum Olympiodorus descenderat —, at accuratiorem terminum non lucramur, quando quidem plane ignoramus quo tempore Olympiodorus historias suas ediderit. ac ne si sciremus quidem multum proficeremus, cum plane obscurum foret quantum intervallum inter illarum editionem ac Zosimi transcriptionem fuerit interpositum¹.

¹ aliter de Olympiodoro visum est Ieepio l. d. qui postquam recte dixit morte impeditum videri Zosimum ne opus absolveret nec quicquam in fine intercidisse — idem ex Photii testimonio iam effecerant Sylburg (ad Zos. VI 13) et Tillemont t. VI p. 594 sq., dubitanter ille confidenter hic, et certissime potest effici ex ipsa sexti libri condicione, cf. ad VI 7, 6 —, ita pergit: ‘dieser (Zosini mors) ist wahrscheinlicher Weise bald nach dem J. 425 eingetreten oder genauer gleich nach dem Erscheinen des Olympiodorischen Werkes. Dies fand nicht viel später statt, da Olympiodor bereits 412 als Gesandter verwandt wurde, also sicherlich schon ein Mann in gesetzten Jahren war, außerdem aber sein Werk dem Kaiser Theodosius gewidmet war, und es würde doch im höchsten Grade unwahrscheinlich sein, wenn er, da er einmal die Regierung dieses Kaisers angefangen hatte, sie nicht auch bis zu der damaligen Gegenwart fortgeführt haben sollte damit ist auch diese kleine Schwierigkeit (in Syriano posita, v. supra) beseitigt und wir können den Zosimos mit Sicherheit dem Anfange des 5. Jahrhunderts zutheilen.’ haec ille. iam si prius argumentum ex Olympiodori a. 412 ad Hunnos legatione (Olymp. fr. 18) petitum perpendimus, nihil magnopere eo probari eluet. fac Olympiodorum tricenarium ad barbaros missum esse: potuit viginti vel triginta annis post historiae condenda operam dare, ut cur illum circa a. 425 et incohasse et absolvisse historiam putemus causae nihil sit. alterum autem Ieepii argumentum non fallax modo est sed aperte falsum. ni mirum Olympiodorus omnino non Theodosii, i. e. imperii orientalis, sed Honorii successorumque, i. e. imperii occidentalis, historiam scripsit. hand autem cur ad a. 425 nec ultra deduxerit facile intellegitur: nolebat ille vivi Valentianiani tertii res perscribere, ideoque substitit in eo tempore, quo Valentianus a Theodosio occidentis Augustus nominatus erat (Olympiod. fr. 46). cur autem Theodosio Olympiodorus occidentalis imperii historiam inscriperit scire iam non possumus, cum omnino de Olympiodori rebus per pauca cognita habeamus (v. Tillemont t. V p. 656 sq.). quodsi de Olympiodoro manet id quod tribus verbis complexus est Tillemont:

quodsi illa via nihil efficitur nisi ut post Olympiodorum vixerit Zosimus, iam temptandi sunt ei scriptores qui huius ipsius opus cognitum habebant. inter hos aetate primus est Eustathius Epiphaniensis, qui in breviario a. 502 edito (Mueller F. H. G. t. IV p. 138) praeter alios scriptores etiam Zosimo usus est, ut testatur Euagrius h. e. V 24. quo ex Euagrii loco, noto eo quidem sed huic quaestioni antea non adhibito, Ieep l. d. p. 426 verissime conclusit Zosimi historiam ante a. 502 fuisse editam. quod autem idem Ieep Euagrii de aetate Zosimi dubitationem (v. supra) ipsam quoque ad Eustathium revocavit, nequaquam id posse fieri mox adparebit.

coartatus igitur iam est Zosimus intra annos 425 et 502. magis etiam ut coartetur iam ipsa adeunda est historia. quae quidem historia ita comparata est ut non paulatim edita videatur sed uno tenore: nimis enim exiguum erat volumen quam ut discerpendo auctor operae pretium faceret. porro tam neglegenter opus consarcinatum est ut non multorum annorum sed brevis temporis videatur labor. denique accuratius rem insipienti facile patet sextum librum nec ad umbilicum perductum esse et multa habere imperfectae condicionis vestigia (cf. superioris p. adn. 1). unde certa coniectura efficitur ab ipso Zosimo opus vulgatum non esse — quod vel propter Constantini Theodosiique insectationem ceteraque indignationis qua homo ethnicus Christianorum res prosequitur indicia periculosum tum fuissest viro praesertim dignitatibus magnis perfuncto —, sed postumam haberi editionem¹. ipsam igitur scriptiōnem si ultimis Zosimi annis tribuamus vix errabimus.

'il écrivoit entre 425 et 450', corruit tota Ieepii argumentatio ex Olympiodori rebus ducta. ac per se parum foret credibile eodem fere tempore et scripsisse Olympiodorum historiam et transcripsisse Zosimum. (ceterum si quis forte putet Olympiodori tempora aliquatenus posse astringi eo quod Ieep ('Quellenuntersuchungen zu den griechischen Kirchenhistorikern' ann. phil. Suppl. t. XIV 1884 p. 73 sq.) demonstraverit Olympiodori opere iam usum esse Philostorgium — qui quidem ante Socratem et Sozomenum historiam ecclesiasticam scripsit (Ieep l. d. p. 57) —, mihi quidem ne illa quidem Ieepii argumentatio probatur, non solum de ea Olympiodori parte quae a Zosimo excerpta est (v. ad V 26, 1), sed etiam de ea quae res inter annos 410 et 425 gestas complectitur).

¹ quod cum ita sit, ad aetatem Zosimi definiendam uti nolo sanctione illa imperatoria anni 468, qua pagani ab advocatione exclusi sunt (cod. Iust. II 6, 8). quippe fieri potest ut Zosimus multorum exemplum

haec praefati iam circumspiciamus num forte in ipsa historia insint quae ad certum aliquod tempus tuto referri possint. quam quaestio partem prorsus praetermisit Ieep, non praetermisserunt qui olim de Zosimo disputaverunt Tillemont ac Reitemeier. ac Reitemeier quidem (praef. p. XXIV) recte dixit ex eis Zosimi locis ubi imperii prorsus collapsi condicionem deploret sequi ut longo satis intervallo ille vixerit post Honorium¹ — quippe sub hoc coeptum modo est imperium discerpi, sed plena ruina diu post consummata. quod argumentum quin eam vim habeat ut tempora medio saeculo quinto priora omnino excludantur rerum peritus nemo dubitat: inde ab Attilae enim demum temporibus ἡ Ρωμαίων ἀρχὴ κατὰ βραχὺ βαρβαρθεῖσα εἰς ὀλίγον τι, καὶ αὐτὸ διαφθαρέν, περιέστη (I 58, 4).

non tamen desunt certiora etiam aetatis indicia. quippe scriptor II 38 enumerat tria collationum genera quae inde a Constantini M. temporibus invaluerint, chrysargyrum praeturam follem. pergit § 4: ἐπιμεινάσης γὰρ καὶ μετὰ Κωνσταντίνου τῆς ἀπαιτήσεως ἐπὶ χρόνον συχνόν, ἔξαντλουμένου κατὰ βραχὺ τοῦ πλούτου κτέ. ut quin ipsius aetate collationes illae aut omnes aut ex parte cessaverint dubium esse non possit. hoc autem constat chrysargyrum quidem anno demum 501 ab Anastasio abolitum esse; contra iam a. 450 imperatores Valentinianus et Marcius sanxerant ne quis ex clarissimis et spectabilibus qui in provinciis degerent ad praeturam postea devocaretur (cod. Iust. XII 2, 1), eodemque fere tempore eidem imperatores follem ableverant (ib. l. 2.). quam abolitionem cum Zosimi capite illo ita posse coniungi ut scriptoris aetas illinc eliceretur cum ipse mihi dudum persuasissem, tum postea vidi etiam Tillementium (t. VI p. 595) eius memorem fuisse. qui tamen quod putat chrysargyri

secutus palam novam secreto veterem persuasionem professus sit. quodsi forte post annum 468 vixit, ne sanctio quidem illa obstabat ne advocati munere fungi pergeret indeque ad fisci advocationem perveniret.

1 sufficit monstrasse locos quales sunt I 58, 4; III 32, 6; IV 21, 3; IV 59, 3. ceterum ex loco I 57, 3: Πολυβίου γὰρ ὅπως ἐκτήσαντο Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν ἐν δλίγῳ χρόνῳ διεξέλθόντος, ὅπως ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ σφῆσιν ἀτασθαλίησιν αὐτὴν διέφθειραν ἔρχομαι λέξων, certi quicquam effici vix possit, quamquam ita visum Reitemeiero. incertum enim est cum initium computi — quamquam videri potest inde ab a. 395 deductus, v. IV 59, 3 —, tum ipsum inclusi temporis spatium. quippe plane latet num scriptor innuat incrementi χρόνῳ δλίγῳ (i. e. quinquaginta tribus annis, v. I 1, 1) ruinae οὐ πολὺ χρόνον examussim respondere, an generalis potius sit aequatio. ac mihi quidem hoc videtur.

abolitionem a Zosimo respici indeque scriptorem in Anastasii temporibus collocandum — quo facto illum, similiter ac Valesius (ad Euagr. III 41), eundem putat ac Zosimum sophistam qui secundum Suidam κατὰ τοὺς χρόνους Ἀναστασίου τοῦ βασιλέως erat —, haud dubie errat. quippe iam recordandum est Eustathium Epiphaniensem in breviarium a. 502 vulgatum Zosimeae historiae particulas recepisse. unde cum pateat chrysargyri quidem uno anno ante sublati mentionem facere non potuisse Zosimum, praesertim cuius historia post mortem scriptoris sit edita, nihil relinquitur nisi ut abolitionis memoria illa referatur ad prae turam et follem, i. e. ad a. 450¹.

¹ iam reverti possumus ad locum illum Euagrii (III 41) quo ille nescire se fassus est sub Arcadio Honorioque an postea Zosimus vixerit. quem locum non ex ipsius Euagrii lectione fluxisse sed ex Eustathio transcriptum esse Ieep mus. Rh. t. XXXVII p. 427 sq. inde conclusit, quod certum esset Prisci historias ex Eustathii breviario innovuisse Euagrio, licere autem id quod de Prisco valeret ad Zosimum sine cunctatione transferre. iam quin Euagrius revera ex Eustathio desumpserit ut pleraque alia ad historiam profanam pertinentia ita etiam quae ex Prisco adfert numquam dubitavi, dixerantque id pridem C. Mueller F. H. G. t. IV p. 138 et A. Koecher 'de Ioannis Antiocheni aetate' (diss. Bonn. a. 1871) p. 37 sq. idem tamen cum Euagrii ex Zosimo eclogas considerabam easque et ex pluribus historiae partibus fluxisse et ipsa Zosimi verba accurate referre videbam, ambigere coepi an non Zosimum quoque etiam ab ipso Euagrio lectitatum esse concederemus, praesertim cum plane lateat compilationis Eustathianae et modus et ambitus. et recte me sensisse nunc patet. quippe postquam intelleximus historiam Zosimi post a. 450 esse compositam, manifestum est Eustathium, aequalem eum fere Zosimi vel paulo iuniorem, numquam potuisse isto modo de illius aetate dubitare. ni mirum is ex Zosimo eclogas quasdam fecerat aetatis notatione non addita, centum annis post Euagrius eclogis illis adductus est ut ipsum Zosimi opus adiret et inde quae ipse in suos usus convertere posset delibaret. cum autem de fontis aetate nusquam quicquam adnotatum inveniret, ne apud ipsum quidem Eustathium, ipse conjecturam fecit eamque sat indefinitam. — potest autem ex hoc exemplo disci post tot scriptorum veterum iacturam nostras de nexu eorum mutuo opinaciones tum demum a ruina esse tutas ubi muniri possint fide ex ipsis rebus petita, nec quicquam in his litteris esse fallacius quam argumenta ex analogia ducta. ('zwar vermag ich über Zosimos, den nach Euagrius Eustathios benutzt haben soll, einen derartigen Nachweis, wie oben über Priscus, nicht zu erbringen; jedoch erscheint dieser in der That nun auch vollständig überflüssig, nachdem wir die Zuverlässigkeit unserer Angaben in einem wesentlichen Punkte als befrie-

certissimis igitur argumentis effectum iam est ut opus nec ante a. 450 nec post a. 501 ponи possit. hoc autem ipsum semisaeculare intervallum denuo certioribus terminis artare vix poterimus; conjecturae saltem quaedam quae ex silentio scriptoris fieri possint prorsus sunt incertae¹. itaque hic subsistendum censeo. ceterum si quis ex eo quod a. 502 Eustathius Zosimi mortui opus excerptis concludat iam pridem opus fuisse notum, recte forsitan concluserit. quod utut est, quadraginta cum minimum annorum continua historia intempestiva Zosimi mors nos fraudavit: ad suam enim aetatem se pergere velle causasque ruinae omnes accurate explicare identidem scriptor profitetur. quod damnum, ut nunc res est, aliunde prorsus non posse sarciri sciunt qui quinti saeculi historiae operam dederunt.

Dorpati.

L. Mendelssohn.

digend erkennen konnten. und so kann es nicht zweifelhaft sein, dass auch die Erwähnung des Zosimos bei Euagrius III 40 und 41 allein auf Eustathios zurückzuführen ist, wie ähnliches schon C. Mueller vermutet F. H. G. t. IV p. 138': Ieep p. 431.)

¹ veluti putabam aliquando ex eo quod Zosimus III 11, 3 bibliothcae a Juliano Cpli constitutae mentionem facit, non memorato incendio quo illa postea absumpta est (Tillemont t. VI p. 485), effici posse ut historia ante a. 476 composita sit. sed talem conclusionem omni cogendi vi carere nunc intellego. aliquanto certius argumentum fortasse inde potuit deduci quod ille IV 18, 3 Minervae signi eburnei ita meminit ut ipsius aetate in Parthenone superfuisse videatur (ὑπέθηκε [i. e. Nestorius a. 375] τῷ ἐν Παρθενῶνι καθιδρυμένῳ τῆς Ἀθηνᾶς ἀγάλματι, non addito τότε). at quantum video non constat quando Παρθένος ex sede sua fuerit depulsa, nisi quod id accidisse debet ante Procli mortem, i. e. ante a. 485 (v. Wachsmuth 'Stadt Athen' t. I p. 720, 4). itaque hoc quoque indicium difflit prope totum restatque nihil nisi probabilitatis quaedam species qua verba illa ante a. 485 scripta esse videri possint. quamquam ipsa ea species quam sit incerta ac dubia me non fugit.